This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

878
L90
F43

A 467575

Frustall
de com=
paratione
Incertie=
nis.

Digitized by Google



Digitized by Google

878
L90
F43

Digitized by Google

Digitized by Google

DE
COMPARATIONIBUS LUCRETIANIS.

414830

Dissertatio inauguralis philologica,

quam

consensu et auctoritate

amplissimi philosophorum ordinis

in

academia Fridericiana Halensi

cum Vitebergensi consociata

ad summos in philosophia honores

rite impetrandos

scripsit

Heinrich
(Henricus) Feustell
Brunsvicensis.

Halis Saxonum,
MDCCCXCIII
Formis Kaemmererianis.

Digitized by Google

Digitized by Google

Praefatio.

Lucretio, cum Epicuri ratione disciplinaque penitus perspecta eius de rerum natura doctrinam, qua quasi firmissimo fundamento Epicurea philosophia nitebatur, ut quod solatium ipsi praebuerat, civibus quoque suis afferret, cum Romanis communicare statuisset, duae res providendae erant, ut suorum animi studio philosophiae non magnopere dediti et ad legendos libros ipsius facile allicerentur et allecti novis doctrinis maximam partem subtilioribus et a sensu communi nimis alienis dilucida ratione imbuerentur. Atque illud quidem, ut accederent Romani ad eam, quam tractabat, philosophiam cognoscendam efficiebat poeta ita, ut, quo ipsa eum egregia indoles ferebat, versibus rem persequeretur eamque ornatu poetico, in quo imprimis imagines habendae sunt, instrueret; perspicua autem ea, quae tradebat, faciebat adhibitis permultis comparationibus, quae, etsi ipsae quoque interdum orationem exornant, tamen eo imprimis consilio a Lucretio usurpatae sunt, ut Epicuri placitis lumen adhiberent. Qua de causa, cum non mediocrem locum teneant in illius carminibus comparationes, non inutile mihi visum est de Lucretii in comparationibus adhibendis usu disputare. Quam rem ita institui, ut prima

Digitized by Google

huius dissertationis parte et, quibusnam comparationibus orationem illustraverit, exponerem et, quae de illarum usu digna commemoratu viderentur, afferem, altera agerem de earum forma grammatica, tertia inquirerem, quos poetas priores Lucretius in comparationibus imitatus esset.

Qua in re qui, quid illi cum aliis poetis commune sit, iam docuerint, suo loco dicam. Numeros secutus sum editionis Lachmannianae.

Digitized by Google

Caput I.

Comparationes, etsi inde ab Homeri temporibus ab omnibus, qui eas adhibuerunt, propterea, ut orationem et dilucidiorem et ornatiorem facerent et continuationem seriemque sermonis interrumperent, usurpatae sunt, in Lucretii carminibus, ut breviter iam diximus, eam imprimis vim habent, ut, cum ornatui potissimum imagines sive descriptiones passim orationi admixtae[1]) inserviant, ipsae ea, quae poeta demonstravit, in clariore luce ponant et quasi oculis ipsis subiciant, quae interdum vix a legentibus intellegebantur. Sed, ut omnem hanc comparationum copiam perspiciamus, alios quosdam carminis locos adiungere debemus, qui a similitudinibus nulla re differunt nisi forma, qua inducuntur. Interdum enim poeta, postquam rem aliquam difficiliorem demonstravit, Epicuri rationem: *περὶ τῶν ἀδήλων ἀπὸ τῶν φαινομένων χρὴ σημειοῦσθαι*[2])secutus aliam rem similem omnibusque notam affert, ut illa adiutus ea, quae ipse docuit, magis probet et confirmet. Hanc etsi ita plerumque elegit, ut quam maxime ei rei, quae demonstrabatur, responderet, tamen non semper sic antecedentibus adiunxit, ut iusta comparatio exsisteret. Ita, ut exemplum

1) Imaginum sive descriptionum, quae apud Lucretium inveniuntur, locos enumerat Bouterweckius 'Lucr. quaestiones gramm. et crit. Halis 1861' p. 5. Praeterea conferas Grasbergerum 'de Lucretii carmine. Monachii 1856 p. 34—36.

2) Diog. Laert. X, 32.

Digitized by Google

afferam, V, 590 sqq., cum demonstrare conetur, quomodo fiat, ut sol, qui ab Epicuro paulo vel maior vel minor, quam videtur esse, habebatur, tamen tantum lumen, quantum per caelum, terras, maria effundit, mittere possit, argumentorum, quae profert, fidem firmare studet rebus, quae in terra simili modo geri videmus, appositis. In quo illud, quod secundo loco posuit (v. 608 sq.) „quod genus interdum segetes stipulamque videmus“ sqq. per „quod genus“ [1]) cum antecedentibus in iustae comparationis speciem redigit. Contra in priore exemplo (v. 602 sq.) „nonne vides etiam quam late parvus aquai“ sqq. id quod, quomodo se habeat, certis argumentis demonstrare non potest, illo, quem profert, modo fieri posse ita comprobat, ut demonstrandi illa ratio clare appareat.

Ex his igitur locis, qui re ipsa maximam partem a comparationibus non differunt, haut pauci in similitudinum numerum, quem contemplari volumus, recipiendi sunt. Hi autem mihi afferendi huc videntur esse: I 823 II 688. 1013. V 294 — II 196. IV 1286 V 556. 602 — VI 130 — VI 548 — IV 901 — VI 167 — I 912 VI 143 — II 741 — VI 655.

Praeterea aliquot loci mihi non praetermittendi videntur esse, qui ipsi quoque, etsi propter formam, qua inducuntur, non in comparationum numero habendi sunt, tamen, cum rem ipsam spectamus, quia eodem modo atque illae res illustrant, a comparationibus non abhorrent II 114 sqq; 317, quo loco ad imaginem efficiendam poeta usus est; 804 sq. IV 170.

His et illis, de quibus antea diximus, exemplis numero comparationum additis in toto carmine 163 similitudines inveniuntur. Inter quas uberius descriptae, quae orationi

1) De vi, quae inest in verbis „quod genus,“ conferas, quae Briegerus exposuit Bursiani ann. tom. XII part II p. 184, 185; qui ea quae inducuntur per „quod genus“, his verbis cum antecedentibus coniungi docet. Atque quibusdam certe locis, id quod Munro dicit in adnotatione ad II, 194, nihil interesse mihi videtur inter „quod genus“ et particulas comparativas ut „velut, quasi“ alias. Ita, ut exemplo utar, IV 478 „quod genus“ eodem sensu, quo paulo post in simillima comparatione IV 540 „ut“ usurpatur.

Digitized by Google

ornatum tantummodo dant, non plus decem exstant, cum 45 simplices adhibitae sint, quae omnis ornatus verborum expertes uno fere verbo continentur, ita ut 108 restent, quae breviter illud, ad quod appositae sunt, illustrant. Quae res ipsa quoque documento est ad res, quae demonstrantur, dilucidiores faciendas imprimis comparationes usurpatas esse a poeta; nam si ornatui potius destinatae essent, certe non tot similitudinibus flos quidam et color orationis omnino deesset.

Quae comparationes in singulos libros hoc modo dispertitae sunt, ut liber primus 12, secundus 27, tertius 34, quartus 23, quintus 27, sextus 40 contineat. Et quoniam numerus versuum in primo libro fere idem est atque in reliquis, apparet minorem illum comparationum numerum ex natura rerum, quae tactantur, repetendum esse. Nam cum totus fere liber primus versetur in doctrina de atomis et inani spatio, quibus duabus rebus omnia creantur, et in refutandis aliorum philosophorum de primordiis sententiis, illustrandi non ampla occasio dabatur. Eadem de causa, qua hic minimus, maximus comparationum numerus, qui in tertio et sexto libro invenitur, debetur rebus ibi tractatis.

Ad numerum versuum, quibus comparationes continentur, si spectamus, longe plurimas constare invenimus ex versibus quattuor aut paucioribus. Maiorem versuum circuitum habent hi loci: quinque versus habet V 540, sex habent II 317 III 832, septem I 936 II 114, 196, 688, 847 IV 513 V 460 VI 109, octo II 552 III 408 IV 271 V 294, novem I 281 II 1013 decem II 323 VI 655.

Iam ut ad ipsas comparationes contemplandas aggrediar, rem ita instituam, ut primum, unde comparationes sumptae sint, inquiramus, deinde, ad quas imprimis res illustrandas adhibeantur, videamus, tum, quomodo inter se respondeant res comparata et comparatio, cognoscamus, denique, quaenam ex iis comparationibus, quae non uno, sed compluribus locis exstant, aut a Lucretio ipso scriptae aut interpolationi tribuendae videantur esse, exponamus.

Digitized by Google

Primum igitur quaerentibus nobis, quibusnam ab rebus Lucretius similitudines petierit, iidem fontes occurrunt, ex quibus iam Homerus et omnes, qui illius exemplar secuti similitudinibus carmina sua illustraverunt, hauserunt: fabulae, rerum natura, animalia, hominum vita. Cuius largae materiae diversas partes quomodo poeta adhibuerit in carmine suo, ut intellegatur, primo breviter singulos locos generatim digestos afferam.

E fabularum genere ad comparandum adhibentur gigantes V 117, Acheruntis tenebrae IV 170 VI 251.

Ad rerum naturam pertinent sol II 162 III 1044 IV 161 nubila V 646 nebulae V 460 nubes et nebulae VI 1099. 1121 fulmen III 488 V 1125. 1131 fulmina, imbres, venti I 761 ventus IV 901 VI 1032 ignis IV 873. 926. 1138 flammae I 1102 VI 1169 scintilla IV 605 V 608 fumus III 456. 583 aequor III 493 mare et flumina VI 143 flumen I 280 fons V 602 aqua III 339 imbris guttae II 222 silva VI 135 lauri VI 152 fruges et arbusta II 189 papaver II 453 montes VI 189 lignum II 881 ferrum VI 148 saxa IV 1286 lapis VI 106. 161. 314 pyropus II 803 curalium et zmaragdi II 805 vinum et unguentum III 221 tus III 327 faex V 497 lana IV 376 cera VI 515 pix VI 257 spongia IV 618 carbasus VI 109 chartae VI 112 chartae et vestes VI 114 vellera lanae VI 504 vensicula VI 130 glans plumbea VI 178. 306 ea, quae de tormentis mittuntur VI 329 machina IV 905 rotae et haustra V 516 navis IV 897. 901. 903. 904 VI 1032 navis fractae partes II 552 vas III 440. 936 VI 555 lychni et taedae V 294 cretea persona IV 296 aranea et brattea auri IV 727 cavea III 684 tecta plaustris concussa VI 548 tigna trabesque II 196 columna VI 433 fores III 360 ianua IV 271. His rebus, quae ex rerum natura petitae comparationibus materiem praebuerunt, adiungantur: simulacra rerum, quae in aqua videntur I 1060 corpuscula in solis radiis vagantia II 112 candor II 322 fulgor II 332 res aliqua, quae nos verberat IV 263.

Ab animalibus haec a poeta sumuntur: canes venatici I 404 equus, haedus III 7 'lanigerae pecudes' II 317 'lanigerae

Digitized by Google

pecudes et bucera saecla' VI 1245 sues V 969 boves Lucae V 1339 ferae V 932. 946 VI 198 hirundines, cycni III 6 cycnus, grues IV 181. 910. apes III 11 cicadae V 803 anguis III 614. His comparationibus annectere liceat alias, in quibus inveniuntur homines, armenta, ferae II 921 bestiarum plumae, pili, saetae V 788 membranae IV 31 natura animantum I 1038.

Iam priusquam eas similitudines afferamus, quas poeta petivit a vita studiisque hominum, uno loco collocentur eae comparationes, quae a corporis eiusque partium natura et iis rebus, quae illis accidunt, sumptae sunt. In quibus adhibita sunt: corpus III 459. 510. VI 501 membra V 478. 540. 549 oculus III 408. 563 manus aut oculus naresve III 551 aures et oculi atque ceteri sensus, qui vitam gubernant III 549 multae vires unius corporis iter se coniunctae: odor et calor et sapor coniuncti III 265. 266 cibus per totum corpus dispertitus III 702 sanguis e corpore nostro emicans II 194 clamor ac voces I 490 VI 229 horror, frigus, quae in artus nostros veniunt VI 593, 594 halitus VI 478 febris VI 655 bona valetudo III 102 corporis aliqua pars (vel caput vel oculus) laesa, reliquae corporis partes doloris expertes III 147 aliquis, cui pes aeger est, caput dolore vacat III 110 morbus, qui sacer ignis appellatur VI 1167 somnus III 977 animus animaque III 276 animus V 556.

Ex hominum vita hae comparationes sumptae sunt: pueri II 55 III 87 VI 35; I 936 IV 11 V 1030 femina V 813. 827 homines oculorum lumine carentes II 741, aliquid caecis tenebris tangentes II 746 nauta undis proiectus V 222 homines cum mari magno luctantes II 1 in campo pugnantes II 6 legiones proelium in campo committentes II 323 conviva de cena decedens III 938 famulus infimus III 1035. Huc referendae quoque sunt hae comparationes: IV 1097 in somno cum bibere nobis videmur, non bibimus. VI 434 pugnis trudimus aliquid et in undas extendimus. II 118 aeternum certamen.

Ex iis comparationibus, quae pertinent ad studia vel negotia hominum, spectant ad artem grammaticam I 197. 823.

Digitized by Google

912 II 688. 1013, ad ludum aliquem II 778 (multis diversis figuris una figura quadrata effici potest), ad unguenti faciendi artem II 847 ad aedificationem IV 513 ad morem pecudum diis immolandarum VI 759.

Hominum instituta his locis commemorantur: I 738 V 111 responsa Pythiae II 79 cursores lampadibus instructi.

Mensuram indicant duae comparationes: VI 652 (unum caelum totius summae non tanta pars est, quanta totius terrae homo), II 163 (multiplex spatium transcurrunt primordia eodem tempore, quo solis fulgura caelum).

A tempore nna comparatio sumpta est: III 832 confertur id tempus, quo bello Punico flagrante legentes nondum erant, cum eo tempore, quo legentes iam mortui erunt.

Hae comparationes apud Lucretium inveniuntur. Ex quibus quod duae tantum ad fabulas pertinent, non est, quod miremur. Nam et carminum materia illis adhibendis omnino fere aliena erat et poeta perniciosam illam superstitionem, quam creabant fabulae, quippe quae inde a pueris hominum mentes tenerent, ipso de natura rerum carmine evertere studebat. Hae autem duae huius generis comparationes, quas Lucretius admisit, et simplices sunt, quas poeta non copiosius descripsit, et altera, quae V 117 invenitur, minus ex Lucretii animo facta est quam ex Memmii, quem religione refrenatum idem immane scelus, quod gigantes in sese conceperant, se et omnes committere, qui ratione perscrutarentur mundum, putare poeta fingit.

Maximam similitudinum copiam, ut ceteris quoque poetis, Lucretio suppeditavit rerum natura. Has imprimis poeta ad res, quas tractabat, illustrandas usurpavit, quod ita effecit, ut et ab iis rebus eas repeteret, quae omnibus erant notissimae et aptissimam quamque rem cum rebus illustrandis componeret.

Sed priusquam de comparationibus ipsis agamus, in universum id quoque quaeramus, quas imprimis res poeta comparationibus illustraverit. Qua in re per se intellegitur

Digitized by Google

maximam similitudinum copiam cumulatam esse ad eas res, quae in Epicuri doctrina maximi momenti erant et eam ob causam maxime in toto carmine descriptae erant. Inter quas primum locum tenet atomorum doctrina, qua omnia, quae Lucretius profert, fundata atque stabilita erant. Quarum naturam, quae quam maxime ab oculis nostris remota est, in altero imprimis libro multis et perlucidis comparationibus ita illustravit, ut, quod ipse de se dicit in libri III initio Epicuri opera videre se totum per inane res geri, idem nos dicere possimus illius dilucida illustrandi ratione adiuti. Non minorem comparationum numerum adhibuit ad animi animaeque naturam illustrandam, de qua agit in tertio libro.

Deinde complures comparationes usurpatas esse invenimus, ut, quomodo nubibus tonitru efficiatur, demonstretur. Sed hic propterea complures similitudines adhibitae sunt, quod Lucretius, quippe qui in Epicuri doctrina exponenda totus fere ab illo pendeat[1]), non unam, quam veram putat esse, causam ad res illas intellegendas affert, sed plures. Epicuri enim, dummodo vanus ille deorum timor evanesceret, nihil intererat investigare, quomodo vere illae res se haberent. Atque unamquamque illarum, quas profert, rationum Lucretius illustrat apta comparatione.

Praeterea in singulorum librorum prooemiis et iis locis, quibus demonstrationis tenor interrumpitur, Epicurus ipse neque minus eius doctrina, de qua aliquoties poeta dixit, compluribus similitudinibus locum dedit.

Iam ad comparationes ipsas reversi, cum id in hac parte inquirere constitutum sit, quomodo inter se respon-

---

1) Woltjerus ('Lucretii philosophia cum fontibus comparata' Groningae 1877), etsi Lucretium neminem nisi Epicurum secutum esse non recte censet, — P. Ruschius ne in doctrina quidem exponenda Epicurum unum eius auctorem fuisse demonstrat in dissert. 'de Posidonio Lucreti auctore in carmine de rerum natura IV' Gryphiswaldiae 1882 — tamen summum consensum inter ea, quae Lucretius profert et Epicuri, quae quidem exstant, placita esse docet.

Digitized by Google

deant res comparata et comparatio, primum de comparationum coacervatione agamus. Interdum enim, ut alii poetae, ita Lucretius quoque in carmine suo rem aliquam non una comparatione, sed compluribus illustravit. Hoc quibus locis poeta fecerit, quot et quas similitudines collocaverit, qua de causa complures adhibuerit, videamus.

Complures comparationes apud Lucretium his locis usurpatae sunt: II 1. 194. 317. 741 III 6. 221. 784. (V 128) IV 901 VI 109. Ex quibus locis duas comparationes continent II 1. 194. 317. 741 III 6. 221, tres VI 109 quattuor IV 901, quinque III 784. Quamquam eae comparationes, quae III 784 exstant, unius fere comparationis speciem praebent, cum illud, quod animi naturam sine corpore oriri non posse poeta dicit, non tam singulis comparationibus illustratur quam ea re, quae illis demonstratur certum ac dispositum esse ubi quidquid cresceret et inesset (v. 788).

Materia comparationum singulis, quos attuli, locis praeter II 317 et III 784 eadem est, sive ex hominum vita (II 1. 741) repetita, sive ex animalibus (III 6) sive ex rerum natura (II 194 III 321 IV 901 VI 109). Similitudinum II 317 sqq. altera pertinet ad animalia, altera ad hominum vitam; et ex iis, quae III 784 sqq inveniuntur, comparationibus una sumpta est ab animalibus, ceterae a rerum natura.

Omnibus his locis cur complures comparationes usurpatae sint, quaerentibus nobis causae quaedam, quibus Lucretius videtur commotus esse, proferri possunt. Ac primum uno loco poetae complures partes eius rei, ad quam comparatio apposita est, illustrandae erant: nam VI 109 ut, qualem sonitum nubes edant, doceat, praeter eum crepitum, qui carbaso ventis iactata efficitur, hunc quoque affert, qui exoritur carbaso perscissa; nam, ut ipse dicit (v. 113), „id quoque genus in tonitru cognoscere possis“. Deinde complures comparationes ad unam rem, etsi non complures eius partes illustrandae erant, adiunxit, quo dilucidior ea fieret. Atque praeter II 317 et 741 omnibus, qui huc per-

Digitized by Google

tinent, locis comparationes, quibus utitur, rem comparatam eodem modo illustrant, ita ut nulla similitudo magis valeat ad rem dilucidandam quam ceterae, quibuscum coniuncta est. II 741 autem adhibita iam comparatione, quae ab iis, qui oculorum lumine orbi sunt, repetita erat, poeta addidit alteram, qua melius etiam id, quod demonstrabat, comprobare poterat. Nam nos omnes „caecis quaecumque tenebris tangimus, haud ullo sentimus tincta colore". Eodem modo poeta II 317 sqq., quo loco primordia eadem de causa motus celare dicit, qua ea, „quae possimus cernere, celent saepe tamen motus, spatio diducta locorum", ad priorem imaginem, qua, quamquam pecudes in colle se moverent et luderunt, omnia tamen saepe velut candorem in viridi colle consistere dicit, alteram addit, qua id quoque fieri posse dicit, ut ne turbulentissimus quidem legionum et equitum motus cognosceretur, sed illi stare in campis viderentur.

Restat in hac parte, ut de duobus ex iis quoque locis dicamus, quibus similitudines complures ita collocatae sunt, ut nulla inter eas emineat. Uno enim loco ex his II 1 sqq. duae comparationes, quas Lucretius adhibuit, artiore quodam vinculo conexae videntur esse. Nam, quam praeclara sit sapientium vita, cum vanis illis curis quibus plerique homines laborant, liberos se esse gaudeant, propterea non altera tantum comparatione, sed utraque illa et a maritima et a militari re sumpta illustrat, quod hae duae imprimis res hominibus summos labores, quin etiam vitae periculum creabant. Altero loco comparationes ita non inter se concinunt, ut vix a poeta compositae esse videantur II 194 sq. et 196 sqq.. De quo loco cum paulo accuratius dicendum sit, omnes versus inde a 184 usque ad 200 afferam:

184. 'Nunc locus est, ut opinor, in his illud quoque rebus
185. confirmare tibi nullam rem posse sua vi
corpoream sursum ferri sursumque meare:
ne tibi dent in eo flammarum corpora fraudem.

Digitized by Google

sursus enim versus gignuntur et augmina sumunt
et sursum nitidae fruges arbustaque crescunt,
190. pondera, quantum in se est, cum deorsum cuncta ferantur.
nec cum subsiliunt ignes ad tecta domorum
et celeri flamma degustant tigna trabesque,
sponte sua facere id sine vi subigente[1]) putandum est.
quod genus e[2]) nostro com missus corpore sanguis
195. emicat exultans alte spargitque cruorem.
nonne vides etiam quanta vi tigna trabesque
respuat umor aquae? nam quo magis ursimus alte
derecta[3]) et magna vi multi pressimus aegre,
tam cupide sursum revomit[4]) magis atque remittit,
200. plus ut parte foras emergant exiliantque'.

Lucretius igitur, ut ignem non sua vi ad tecta domorum subsilire demonstret, duas res similes affert, quarum altera II 196, ut ab hac incipiam, optime convenit cum illa re, quam illustrat: flammis enim respondent tigna trabesque, quae, ut illae auris expressae sursum succedunt, ipsae ab aqua altius altiusque feruntur. Aeris igitur abditam vim poeta eodem modo quasi ante oculos legentium ponit, quo I 280 sqq. apertam reddidit occultam venti vim, cum utramque rem illustraret comparatione ab aquae vi repetita. Ac nescio, an Lucretio, cum flammas videret degustare tigna trabesque obversata sint tigna trabesque aquae vi interdum in altum expressa.

Huic exemplo quae antecedit, altera similitudo a sanguine sumpta (vv. 194, 5) cum re comparata in eo tantum consentit, quod sanguis non sua sponte e corpore emicat,

---

1) codd. „subiecta". Lambinus: „subigente" Bernaysius: „subeunte".

2) codd. „quod genus e." Lachmannus scripsit „quod genus est"; sed „quod genus e" retinendum esse docet Briegerus Burs. ann. t. XII p. II p. 184, 185.

3) Lachmannus scripsit „deiecta"; „derecta" recte retinent Munro et Briegerus (Philol. XXIV p. 433).

4) codd. „removet". Naugerius „revomit".

Digitized by Google

sed per se deorsum cadit. Lucretius autem similia quam maxime accommodare solet ad eas res, quas iis illustrat, id quod imprimis necesse erat hoc loco, quo poeta, qua re coacti ignes ad tecta subsilirent, nondum dixit, sed comparationibus legentes eo adducere studet, ut, si non ipsi inveniant, quam ob rem illud fiat, at ea, quam profert, ratione illud fieri eo facilius intellegant. Neque vero bene vis occulta, qua flammae escendere coguntur, illustratur hac intestina corporis vi, qua sanguis in altum pellitur, cum ne ipsa quidem videri possit. Deinde aurae undique flammas circumdant neque solum ab inferiore parte eas pellunt, contra sanguis sursum pulsatur una intestina corporis vi. Denique ipsa comparatio ad rem comparatam parum accommodata est, cum flammae tigna trabesque degustantes altius altiusque succedant, sanguis autem ex eadem corporis parte semper in eandem altitudinem emicet.

Quare cum hoc exemplo (vv. 194, 5) non apte, optime vero, ut vidimus, exemplo, quod vv. 196 sqq. exstat, res comparata illustretur, haud scio an Lucretius hoc loco duas comparationes omnino non posuerit. Melius autem vv. 194, 195 alio loco (inter v. 188 et 189) quadrare videntur, quod toto hoc loco inde a versu 184 considerato videbimus.

Lucretius enim, ut nullam rem corpoream sua vi sursum ferri doceat, flammas quoque non sua sponte meare demonstrat. Ac primum poeta ostendit (v. 188 sqq.), cur flammae sursum versus gignantur et augmina sumant. Nam post v. 188 sequuntur haec

‚et sursum nitidae fruges arbustaque, crescunt‘

de quo versu paulo accuratius disputandum est. Eo primus Winkelmannus[1]) offensus est, qui haec verba, nisi comparationis loco essent, aliena ab illo sententiarum conexu esse intellexit proptereaque „et“ mutavit in „ut“. Deinde Briegerus[2]) ne comparationis quidem loco haec verba hic ferri posse censuit, cum, quam ob causam flammae in

1) ‘Beiträge zur Kritik des Lucret. Salzwedel. a. 1857’ p. 10.
2) plilol. XXIII p. 433.

Digitized by Google

altum meantes et fruges arbustaque sursum crescentia inter se conferrentur, non eluceret, et ea de causa versum uncis inclusit. Idem tamen addit versum a Lucretio ipso in margine adscriptum esse, cum, quid sententiarum conexus postularet, non satis attenderet. Sed fortasse indagari poterit ratio, cur poetam hunc versum hoc loco recte scripsisse arbitremur. Nam, ut demonstret, quomodo ignes sursum versus et gignantur et augmina sumant, segetum arbustorumque exemplo apte utitur. Unusquisque enim sciebat segetes arbustaque sursum versus crescere non sua vi, sed et ex seminibus gigni et, quia semper ex terra alerentur, propterea augmina sumere. (Lucr. II 594 sq. „nitidas fruges arbustaque laeta — habet (sc. tellus) unde extollere possit"; I 351 sq. „crescunt arbusta — quod cibus in totas usque ab radicibus imis per truncos ac per ramos diffunditur omnis"), contra eruta vel abscisa deorsum per se cadere. Eodem autem modo flammae et ex seminibus gignuntur (Lucr. II 672 sqq. „quaecumque igni flammata cremantur — haec in corpore celant, unde ignem iacere possint;" I 902 sq. „semina sunt ardoris multa, terendo quae cum confluxere, creant incendia") et, quia ex ea, quae crematur, re semper aluntur, ipsae quoque augmina sumunt. Sequitur igitur, etsi videre quidem id nemo potest, per se flammas quoque deorsum cadere.

Quare mihi versus 189 non alienus ab hoc loco videtur esse. Neque enim offendit, quod flammae celerrime emicant, fruges vero arbustaque paulatim crescunt. Id enim Lucretius agebat, ut et gignendi et crescendi rationem eandem esse doceret. Altera autem offensio, quod haec comparatio cum versu antecedente addita „et" particula conectitur, tollitur, si vv. 194, 195 inter vv. 188 et 189 a Lucretio scriptos esse putamus. Cui loco optime conveniunt. Nam sursum versus sanguis e corpore et „gignitur", et, quia aliae semper sanguinis guttae e corpore emittuntur, „augmen sumit"; per se autem sanguis deorsum cadit.

In hunc igitur locum si vv. 194, 195 transponuntur,

Digitized by Google

poeta in prioris argumentationis parte (vv. 187, 88 [94, 95] —90) docet flammas, cum ex aliqua re (ut ex lychno vel taeda vel alia eiusmodi re) sursum versus emicant et in eandem altitudinem semper exsiliunt, id non sua vi facere, sed propterea, quod ex re, quae crematur, emittuntur, semperque ex ea aluntur. Ad quam rem magis illustrandam affert comparationes a sanguine et a segetibus arbustisque repetitas. Deinde vero, cum flammae, quae domum cremant, altius altiusque subsiliant ad eius tectum, ne quis eas „sponte sua facere id sine vi subigente" putet, hoc (vv. 191—205) aere fieri docet; quod aptissimo exemplo a tignis trabibusque sumpto probat. Utriusque autem, quae hoc modo oritur, demonstrationis finem facit isdem fere verbis, quod per se pondera omnia deorsum ferantur (v. 190, 205).

Videamus nunc, quomodo iis locis, quibus una tantum comparatio adhibita est, haec consentiat cum re comparata. Tum enim recte inter se respondent res comparata et comparatio, cum singulae rei comparatae partes accurate relatae sunt ad singulas comparationis partes. Sed ut alii poetae, qui comparationes in carminibus adhibuerunt, non nimis diligenter id egerunt, ut in omnibus partibus comparatio congrueret rei comparatae, ita Lucretius quoque nonnullis locis liberius in hac re versatus est. Quamquam longe plurimae comparationes apud eum propterea, quod et ad rem demonstrandam imprimis adhibitae sunt et maximam partem paucorum tantum versuum circuitu continentur, bene cum rebus comparatis congruunt.

Ac primum ex iis comparationibus, in quibus recte inter se respondent res comparata et comparatio, paucas afferam imprimisque eas, de quibus emendandis, cum versus, quibus comparationes continentur, non omnes recte traditi sint, viri docti inter se dissentiunt

III 408 sqq. Lucretius animum „dominantiorem ad vitam" demonstrat esse quam animam: nam sine animo nullam partem animae in membris residere posse (vo. 398—401);

Digitized by Google

contra eum hominem, cui animus remaneret, etsi anima „caesis undique membris“ circum adempta esset, vivere (vv. 402—405), dummodo ne tota omnino anima ablata esset. (vv. 406, 407). Hanc rem poeta hac comparatione illustrat vv. 408 sqq:

‘ut, lacerato oculo circum si pupula mansit
incolumis, stat cernundi vivata potestas,
410. dummodo ne totum corrumpas lumins orbem
et circum caedas aciem solamque relinquas:
[id quoque enim sine pernicie non fiet eorum].
at si tantula pars oculi media illa peresa est,
occidit extemplo lumen tenebraeque secuntur.
415. incolumis quamvis alioqui splendidus orbis.
hoc anima atque animus vincti sunt foedere semper.’

Accurate, etsi constrario ordine, comparationis partes respondent rei comparatae: nam vv. 408, 409, quibuscum conexi coniunctique sunt vv. 410 et 411, pertinent ad vv. 402—5 et 406—7; vv. 413—15 autem referendi sunt ad vv. 398—401. Unus versus in hac comparatione non habet, cui respondeat: v. 412. Hunc interpolatum esse censuit Lachmannus, qui, etiamsi „eorum“ ita intellegeretur, ut pertineret et ad omnem orbem sive circuitum pupulae et ad pupulam ipsam, tamen hunc versum antecedentibus repugnare dicit. Sed non recte eum verba „id quoque“ sqq. ita intellexisse puto, quasi referenda essent ad omnia illa verba „lacerato oculo circum dummodo ne totum corrumpas luminis orbem et circum caedas aciem solamque relinquas“, non ad haec tantum „totum corrumpas luminis orbem et circum caedas aciem solamque relinquas[1]).

At tamen praeter illam offensionem, quam praebet „eorum,“ duae aliae res in hoc versu offendunt. Nam

1) Non recte Goebelius ‘observationes Lucret. Bonnae 1854’ pag. 29) eumque secutus Neumannus (‘de interpolationibus Lucret. Halis 1875’ pag. 44) Lachmannum vv. 410 et 411 sic interpretatum esse dicunt, quasi Lucretius dixisset ‘dummodo ne totum corrumpas „oculum“ sed’ etc. et non ‘dummodo ne totum „circa aciem orbem“ corrumpas’. Lachmannus enim ipsi in adnotatione ad. v. 412 dicit: „omnem orbem sive circuitum pupulae“.

Digitized by Google

primum „eorum“ ferri omnino non posse, cum sententiarum conexu, ut pro illo verbo diceretur „aciei“ sive „pupula,“[1]) postularetur, docuit Briegerus (philol. XXVII p. 41). Deinde idem et Susemihlius l. l. „quoque“ in versu 412 offendere ostenderunt, quoniam nihil aliud in versibus antecedentibus aciem delere diceretur. Quare, quamquam Susemihlius[2]) „quoque“ versibus subsequentibus adhibitis ita intellegi posse dicit, ut „id quoque“ hanc vim habeat: „hac re eodem modo (sc. visus deletur) atque acie levissime laesa“, tamen probabilior videtur esse Briegeri sententia, qui hunc versum interpolatum esse censet, etsi negari non posse dicit fieri potuisse, ut Lucretius ipse, cum sententiarum conexum non satis attenderet, versum in margine adscriberet. — Praeter hunc versum in hac comparatione offendit v. 415, quem ipsum quoque Lachmannus interpolatum esse putat. Sed quod dicit vocabulum „alioqui“ a Lucretio non adhibitum esse, recte Pollius (philol. XXVI p. 331) et Neumannus (de interpol. Lucr. p. 45) censere mihi videntur in eo non offendendum esse[3]). Sed tamen laborat versus propterea quod verbo caret. Quare haud scio an recte Neumannus suspicatus sit post v. 415 unum versum excidisse, ita ut versibus 410 et 411 duo versus oppositi fuissent a poeta, quem hoc fere modo scripsisse putat:

‘incolumis quamvis alioqui splendidus orbis
servetur circumque aciem salvus videatur[4])’.

Post hunc locum alius afferatur, qui etsi ita corruptus est, ut verba vix restitui possint, tamen Lucretius ibi

1) Eadem de causa Briegerus (Burs. anall. 1873 t. II. p. 1119) recte reicit, quod Munro (in ed. III) pro „eorum“ scripsit „et orbei“.

2) Susemihlius v. 412 fortasse ita scribendum esse putat, id quod Winckelmannus l. l. pag. 18 proponit: „id quoque enim non pernicie sine fit cernundi“, qua mutatione Briegerus recte addit leniorem esse hanc: „id quoque enim sine pernicie non fiet eadem“.

3) „Alioqui“ vocabulum corruptum esse opinati mutaverunt Goebelius (observ. Lucr. p. 30) in „linquatur“, Munro in „aliquoi sit“.

4) Bockemuellerus coniecit: „incolumis quamvis alioqui splendeat orbis“.

Digitized by Google

rem comparatam quam maxime rei comparatae videtur accommodasse: VI 548 sqq.

Ibi inde a versu 535 primum terram propterea concussam late tremere docuit, quod interdum magni montes irruerent in speluncas, quae subter terram essent. Deinde rem hoc exemplo illustrat.

‚et merito, quoniam plaustri[1]) concussa tremescunt
tecta viam propter non magno pondere tota,
550. nec minus exultantes dupuis cumque vim
ferratos utrimque rotarum succutit orbes.'

Versum 550 ut restituerent, cum alii „exultant" verbum ad idem subiectum „tecta" referendum esse censeant[2]), ad quod „tremescunt" pertinet, alii aliud subiectum ex corruptis verbis „es dupuis" eliciendum esse arbitrentur[3]), illi rectam emendandi rationem iniisse mihi videntur, qui ad „exultant" verbum subaudiunt „tecta". Ex his Lachmannus et Munro, quorum coniecturas supra in adnotatione indicavi, verba corrupta ita quidem emendaverunt, ut quae in codicibus scripta sunt, quam maxime servarentur. Sed recte Ruschius, qui (l. l. p. 6—8) accuratius de hoc loco disputavit, unum lapidem rotas utrimque i. e. ab utroque plaustri latere succutere non posse dicit. Ipse optime suspicatus esse mihi videtur Lucretium simile aliquid scripsisse atque Senecam, qui N. Q. VI 22, 1 ad eandem rem illustrandam eadem fere comparatione utitur: „si quando magna onera per vices vehiculorum plurium tracta sunt et rotae maiore nisu in salebras inciderunt, terram concuti senties"

1) codd. „plaustris". corr. Lachmannus „plaustri".

2) Coniecerunt: Lambinus: „ubi currus fortis equum vis ' Lachmannus: „et ubi lapi cumque viai" Goebelius ('Quaest. Lucr. criticae. Salisbury 1857' pag. 27): „si qua vis cumque viai". Munro: „ut scrupus cumque viai". Ruschius ('de Posidonio Lucreti auctore' etc. pag. 8): „fissura ubicumque viai".

3) Coniecerunt: Bergkius (Jahni anall. t. 67 p. 327): „rupis ubicumque viai ferratos auriga rotarum succutit orbes" Christius ('Quaest. Lucr. Monachii 1856' p. 26): „sedes ubicumque viai" Pollius (philol. XXV p. 281) „onera umbo ubicumque viai" Bockemuellerus „res dum vis usque viai."

Digitized by Google

etc: Itaque, etsi ipsa Ruschii coniectura „fissura ubicumque viai“, quae ex omnibus, quae prolatae sunt maxime huius loci sententiae convenit, propterea, quod et fissurae vox, ut ipse dicit, rarissima est neque, ut Briegerus (Burs. anall. 1884 t. II p. 199) animadvertit, satis elucet, quomodo illa fissura intellegenda sit, parum probabilis esse videtur, ita versus videtur emendandus esse, ut salebris viae illa concussio efficiatur. Videtur enim poeta, postquam ad eam, quam demonstrat, rem illustrandam primum id attulit, quod plaustris, quae praeter tecta praetervehebantur, domus concutiebantur, deinde similiorem etiam comparationem rei comparatae ita reddere, ut, quomodo montes in speluncas irruebant, sic currum ex superiore loco in inferiorem decidentem faciat.

Praeterea unam ex simplicium quoque comparationum numero afferam, quam interpolatam esse viri docti quidam censuerunt: II 453.

Lucretius II 451 sqq. semina earum rerum, quae ex liquido corpore constant, levibus et rotundis primordiis contineri docet:

'illa quidem debent e levibus atque rotundis
esse magis, fluvido quae corpore liquida constant
namque papaveris haustus itemst facilis quod aquarum
nec retinentur enim inter se glomeramina quaeque,
455. et perculsus item proclive volubilis exstat.'

Versum 453, quia illepidus et ab huius loci sententia alienus esset, Lambinus et Munro eiecerunt. Sed, etsi recte Lambinus eum non bene inter vv. 452 et 454 interponi animadvertit, tamen illam comparationem et a Lucretio ipso adbitam esse et optime illustrare ea quae versibus 451 sq. dicuntur, certo demonstratum est. Nam primum Hauptius iustam comparationem ita restituit, ut pro „quod“ scriberet „quasi“. Deinde Goebelius (l. l. p. 45) versum post 454 transponendum et „perculsus“ vocabulum, quod Marullus mutaverat in „procursus“, in v. 455 retinendum esse vidit. Aptissimam autem hanc comparationem esse docuerunt

Digitized by Google

Goebelius, qui Lucretium eadem similitudine III 189 et 196 usum esse dicit, et Briegerus (Burs. anall. 1873 t. II. p. 1113). Idem recte intellexit „perculsus“ in v. 455 non referendum esse ad „haustus“, sed ad „papaveris“.

Iam inspiciamus quosdam ex iis locis, quibus vel non recte inter se respondent res comparata et comparatio, vel comparatio certam ob causam Lucretio abiudicanda videtur esse.

Interdum poetae, cum longiores comparationes adhibent, propterea, quod aut orationem magis exornare student aut ipsa re, quae comparatione continetur, commoti non satis animadvertunt, quid illud sit, quod illustrare volunt, aliquid addunt, quod ita rem comparatam non illustrat, ut animos legentium ab ea, de qua agitur, re deflectat. Hoc apud Lucretium, qui paucas tantum copiosius descriptas comparationes adhibuit, uno loco invenitur II 552 sqq. Ibi enim poeta primordia, ut, si finito numero essent, ea numquam „materiae tanto in pelago“ coire posse doceat, cum navis fractae partibus comparat, quae „per terrarum omnis oras“ disiectantur; neque vero illud dicit fieri non posse, ut partes umquam coirent, sed fragmenta illa propterea fluctibus dispergi addit, ut mortales, ne mari confiderent, monerent. Poeta igitur ipsa comparatione ita commovetur, ut oblitus id, quod illustrare vult, se dolere ostendat — id quod copiosius V 1000 sqq. demonstravit — quod homines solebat „placidi pellacia ponti subdola pellicere in fraudem ridentibus undis“ (V 1004, 5).

IV 897 sqq. Duabus rebus Lucretius dicit fieri, ut corpus moveatur: primum ea ratione, ut protrudatur anima, quae ipsa animo simulacris meandi pulsato feritur (vv. 881—891); deinde ita, ut aere quoque propellatur, qui in corpus, quod tum rarescit, invadit (vv. 892—896). Deinde sequuntur haec:

896. ‘corporis. Hic igitur rebus fit utrimque duabus,
corporis ut ac navis velis ventoque feratur’.

Versum 897 Muretus eumque secutus Lachmannus

Digitized by Google

emendaverunt deleta voce „ac“. Sed cum Brunone[1]) Lucretium tam insolenti translatione[2]) non usum esse arbitror. Quare mihi quoque ea emendandi ratio vera videtur esse, quam iniit Bernaysius, qui (praef. p. V) Lucretianam orationem, cuius vestigia in vocabulis „ut ac“ superessent, „corporis“ vocabulo in hunc versum ex antecedentis initio translato periisse putat et apte initium versus ita restituit: „aeque id ut ac navis velis“ etc.[3])

Hoc modo enim iusta comparatio efficitur. Iam vero apparet, cum Lucretius duabus rebus corpus moveri docuerit, non ad utramque, sed ad alteram tantum, quae secundo loco (vv. 892—896) invenitur, illam comparationem „aeque — ac navis velis ventoque“ referri posse. Quare Gassendi (opera II p. 506b) „velis“ in „remis“ mutavit, cui Bruno assentitur. Sed recte F. H. Peters monuit alteram tantum causam, quam poeta affert hac comparatione illustrari, ita ut „corpus“ et „aer“ respondeant verbis „velis ventoque“. Haec interpretatio confirmatur versibus, quos Munro laudat, VI 1030 sqq., quo loco ad similem rem eadem comparatio apposita est:

'hic (sc. aer) . . . per crebra foramina ferri
parvas ad partis subtiliter insinuatus
trudit et inpellit, quasi navem velaque ventus'.

Accedit quod, cum hoc quoque loco, priusquam comparatio abhibetur, duae causae ad illam, de qua agitur, rem intellegendam allatae sint (VI 1000—21 et 1022—32), altera tantum, quae secundo loco exstat, hac similitudine illustratur. Optime autem poeta corporis membra, cum

1) ‚Programm der Realschule zu Harburg‘ 1872 p. 7, 8.

2) Lachmannus ad hanc lectionem confirmandam affert Cic. in Sest. 46, quo loco „rei publicae navem“ scriptum est. Sed in hoc verbo illa translatio nihil miri habet, cum saepissime ea, quae ad rem navalem spectant, translata sint ad ea, quae pertinent ad gubernandam rem publicam.

3) Bruno (l. l. p. 6) annotat Bockemuellerum (‚Programm von Stade‘ 1860 p. 52) elisionem in „aeque id“ ferri non posse arbitratum „ut iuxta ac“ proposuisse.

Digitized by Google

eodem modo aere, ac vela dispansa vento, propellantur, cum velis confert Ita VI 743, quia pennae non modo ab avibus ut remi moventur, sed eaedem aere et vento ut vela protruduntur, Lucretius dicit:

'remigi oblitae (sc. aves) pennarum vela remittunt'.

Quamquam omnino non inter se concinunt res comparata et comparatio: nam, cum navis ita propellitur, ut vela eius dispansa vento trudantur, corpus movetur ita, ut totum corpus, quod rarescit, aere feratur.

I 912 sqq. Lucretius propterea interdum arboribus inter se terentibus ignem exoriri dicit, quod multa semina ardoris in lignis insint, quae terendo confluant. Deinde (versu 907) ita pergit:

'iamne vides igitur, paulo quod diximus ante,
permagni referre eadem primordia saepe
cum quibus et quali positura contineantur
910. et quos inter se dent motus accipiantque,
atque eadem paulo inter se mutata creare
ignes et lignum? quo pacto verba quoque ipsa
inter se paulo mutatis sunt elementis,
cum ligna atque ignes distincta voce notemus'.

Poeta igitur, quod eadem primordia paulo inter se mutata ignes et lignum creare dicit comparatione a litteris repetita illustrat. Hanc similitudinem una cum toto hoc loco (vvs. 907—14) Gneissius [1]) ab interpolatore additam esse censet. Primum enim v. 908 „semper", non „saepe" referre dicit, cum quibus eadem primordia contineantur, deinde Lucretium scribere non potuisse primordia paulo inter se mutata creare ignes et lignum: nam illum docere, etsi multa primordia multis rebus communia sint, certa primordiorum genera, si non alia ratione, at figuris inter se differre (II 480—521); deinde alia in aliis rebus primordiorum genera numero praevalere (II 381—477); denique „demptis paucis paucisque tributis, ordine mutato et motu

1) 'de versibus in Lucr. carmine repetitis. Argentorati 1878.' p. 56.

Digitized by Google

— (sic) alias aliis rebus mutarier omnis" (I 748—802); neque vero, cum eadem primordia paulo inter se mutata creare ignes et lignum scriptum esset (I 911), de novis quibusdam primordiis addendis vel de nonnullis demendis cogitari posse. — Sed tamen non puto dubitandum esse, quin versus a Lucretio ipso scripti sint. Nam primum Briegerus (Burs. anall. 1874—76 t. II, p. 171) docuit in „saepe" vocabulo non offendendum esse, nam „aliquid refert semper, magni refert saepe", deinde idem (Burs. anall. 1879 t. II p. 206) recte dixit Gneissium perperam interpretatum esse omnes hos versus. Qui cum antecedentibus versibus 897—906 optime cohaerent: illa enim ardoris semina, quae antea dicta erant, sunt pars omnium eorum seminum, ex quibus tota arbor constat; nam arbores et alia semina et „haec in corpore celant, unde ignem iacere — possint". (II 674, 5); quare iure poeta illa primordia, quamdiu quidem cum ceteris arboris primordiis commixta sunt, lignum creare dicit. Deinde vero, cum arborum cacumina inter se terantur, arboris seminum coniunctione et positura mutata illa ardoris semina, ubi confluxerunt, ignem creant. Eadem igitur „corpora, quorum concursus, motus, ordo, positura, figurae efficiunt ignis, mutato ordine mutant naturam" (I 684 sqq.) et lignum efficiunt. Hanc rem Lucretius, cum vocabula „ligna" et „ignes" inter se similia sint, similitudine a litteris repetita illustrare studet. Neque vero in eo offendendum est, quod res comparata et comparatio non satis inter se respondent, quia haec illi omnino accommodari non poterat. Nam cum poeta primordia, quae et lignum et ignes creant, omnino eadem esse et ignem hoc modo exoriri dicat, ut illa, quae antea cum ceteris arboris primordiis coniuncta fuerunt, positura mutata confluant, in vocabulis illis non omnes litterae, sed tres tantum ign, quae in utraque voce eodem ordine inveniuntur, eaedem sunt. Quam comparationem propterea Lucretius adhibuisse videtur, ut non „ignes minutos" (I 892) — id quod Anaxagoras docuerat — in arboribus latere, sed,

Digitized by Google

quomodo eaedem fere litterae vocabula et „ligna“ et „ignes“ efficerent, sic eadem quoque primordia, quae lignum crearent, creare ignes magis probaret.

Huic comparationi adiungamus alias duas a litteris sumptas, in quibus complures versus, qui aliis quoque carminis locis inveniuntur, repetiti snnt: II 688 sqq. et 1013 sqq.

II 688. ‘quin etiam passim nostris in versibus ipsis
multa elementa vides multis communia verbis
690. cum tamen inter se versus ac verba necesse est
confiteare alia ex aliis constare elementis:
non quo multa parum communis littera currat
aut nulla inter se duo sint ex omnibus idem,
sed quia non volgo paria omnibus omnia constent.
695. sic aliis in rebus item communia multa
multarum rerum cum sint primordia, verum
dissimili tamen inter se consistere summa
possunt, ut merito ex aliis constare feratur
humanum genus et fruges arbustaque laeta’.

Ex his igitur versibus vv. 688—690 (691) leguntur etiam I 823—825 (826); vv. (692) 694 item II (336), 337.

Versu 693 Lambinus recte „idem“, quod in codicibus scriptum est, mutavit in „isdem“. Non recte enim Lachmannus, qui ipse illam emendationem simplicissimam esse dicit, „isdem“ ab usu Lucretii abhorrere ratus pro „nulla“ scripsit „nulli“; sed cum Munrone, ut V 349, ita hoc quoque loco „isdem“ restituendum esse arbitror.

Sed omnes hos versus 688—699 hoc loco, quo nunc leguntur, non a Lucretio ipso positos esse vidit Bruno (l. l. p. 5). Nam non id, quod poeta inde a versu 581 docuerat nullam rem non permixto semine constare, illis versibus illustratur, sed res inter se diversas esse posse demonstratur, quamquam iis aliquot primordia communia sunt. Quare haud scio an recte Bruno hos versus in numero eorum habendos esse putet, quos Lachmannus (ad v. II 166) demonstrat „a Lucretio non eo ordine, quo nunc carmina scripta legimus, tractatos esse, sed alio tempore et cum

Digitized by Google

cetera in manibus non haberet", et quos a primo editore textui insertos esse dicit.

Interpolatum esse totum hunc locum, quia multa insint in his versibus, quibus offendamur, censet Gneissius (l. l. p. 51). Sed is, cum nexum sententiarum non perspexisset et versus ab interpolatore aliquo ad antecedentes male appositos esse putaret, neque omnia recte interpretatus est neque iure in singulis versibus offendit. Nam primum quod verba et versus non composita esse dicit ex variis generibus litterarum, quae cum variis primordiorum generibus, ex quibus singulae res constant, conferuntur, Briegerus (Burs. anall. 1879 p. 201) genera litterarum tot esse recte dicit, quot sint litterae. Deinde recte quidem Gneissius „inter se alia ex aliis elementis constare" nihil esse dicit; sed illud „inter se" imprimis ad „versus ac verba" referendum est, quae inter se comparata differunt; nam antea v. 688, 9 conferuntur singula versuum et verborum elementa, ex quibus multa illis communia sunt. Eodem modo paulo post v. 695 sq. res multa primordia communia habere, sed dissimili inter se consistere summa posse dicuntur. Praeterea, quod Gneissius enuntiato primario „multa elementa vides multis communia verbis" secundarium „versus ac verba necesse est confiteare alia ex aliis constare elementis" repugnare dicit, cum versus ac verba, quae alia ex aliis elementis constant, nulla communia elementa inter se habeant, Briegero assentior dicenti illud „alia ex aliis constare" non eam vim habere, ut versus ac verba ex omnibus aliis elementis constent. Idem recte verba illa in versu 692 „communis littera currat", quae mire coniuncta esse Gneissius dicit, ab interpolatore profecta esse non verisimile videri censet. Tum ne ob eam quidem rem offendendum esse arbitror, quod Gneissius in circulo versari dicit hanc argumentationem: „multa elementa multis verbis communia sunt, cum versus et verba alia ex aliis constent elementis, non quo non saepe communia sint elementa". Nam illud, quod v. 688, 9 dixerat, poeta re-

Digitized by Google

petiisse videtur propterea, ut eo magis animadverteretur, quod ita versus et verba inter se diversa esse posse demonstrat, ut nonnulla elementa communia habeant.

Tum Gneissius imprimis versum 694 demonstrare dicit totum hunc locum interpolatori tribuendum esse. Sententiam autem versus dicit ex eo loco cognosci, unde ab interpolatore sumptus sit II 337; eo loco enim poetam, ut quam multigenis figuris primordia variata sint, doceat, exemplis demonstrare nullam rem omnino alteri parem esse — id quod imprimis e versibus 347, 8; 371, 2, 3 eluceat — ita ut versus 336, 7 nihil possint significare nisi: „non quo haud multa similia sunt, sed quia nulla res alteri prorsus par est". Sed hoc Lucretius neque dixit neque dicere potuit, cum figurarum varietatem non infinitam esse doceat, infinitas autem atomos, quae eandem figuram habent (cf. vv. II 479 sq. 496 sq. 513 sq. 523 sqq.). Praeterea illud a Lucretio non dictum esse elucet ex versibus 337 „non volgo paria omnibus omnia (sc. primordia) constent" et 380 „dissimili inter se quaedam (sc. primordia) volitare figura". — Illa autem exempla ab hominibus, animalibus, rerum natura repetita propterea adhibuisse videtur poeta, ut, cum in singulis illorum generibus, quae non infinita numero sunt, nulla res alteri prorsus par sit, in atomorum genere, quod numero infinitum est, non omnes inter se pares esse eo facilius intellegeretur. Eodem igitur modo versus II 336 sq. intellegendi sunt, quo Lambinus eos interpretatus est: „non quod parum multa sint corpora simili figura nata (nam tantum abest, ut pauca sint, ut etiam sint infinita), sed quia omnia corpora non sunt simili inter se figura praedita". — Eandem igitur vim versus eo, quo repetitus est, loco habet, ut nonnullae earum rerum, quae comparantur, consentiant, omnes autem omnibus non pares sint. Nam ut 333 sqq. atomi propterea formis inter se distare dicuntur, quod non omnes eandem formam habent, ita 688 sqq. versus et verba inter se dissimilia esse poeta dicit, quia non omnia elementa, ex quibus singula sive versus sive verba compo-

Digitized by Google

sita sunt, omnibus aliorum sive versuum sive verborum elementis paria sunt.

Postremo Gneissius ea, quae versibus 698, 9 continentur, falsa esse dicit, cum humano generi et frugibus quaedam semina communia sint, ita ut dici nequeat has aliis, aliis homines constare. Sed etiamsi quaedam semina humano generi et frugibus communia sunt, tamen, cum non omnibus seminibus homines et fruges inter se consentiant, iure ex iis, quae antea (vv. 690—694) disputata sunt, poeta dicere potest ex aliis constare „humanum genus et fruges arbustaque laeta."

Quare nihil obstare mihi videtur, quominus hos versus a Lucretio ipso scriptos esse arbitremur.

Aliter res se habet in altera comparatione, quam supra dixi, II 1013 sqq.

Quin etiam refert nostris in versibus ipsis
cum quibus et quali sint ordine quaeque locata.
1015. namque eadem caelum mare terras flumina solem
significant eadem fruges arbusta animantis.
si non omnia sunt, at multo maxima pars est
consimilis: verum positura discrepitant res.
sic ipsis in rebus item iam materiai
1020. [intervalla vias conexus pondera plagas]
concursus motus ordo positura figurae
cum permutantur, mutari res quoque debent.

Haec comparatio ipsa quoque ut ea, de qua modo dixi, II 688 sqq., non suo loco posita est: nam, ne ad vv. 1007—9 referatur, vv. 1010—12 interpositi prohibent.[1]) Sed haec omnino non a Lucretio videtur scripta esse. Nam cum omnino undecim sint versus, ex his sex aliis locis repetiti sunt[2]); atque hi ipsi hoc loco plurimas habent offen-

1) Winckelmannus („progr. Salzwedel. a 1857" p. 15) vv. 1010—12 post v. 756 transponendos esse censet. Hoc Briegerus (Philol. XXV p. 89) refutat.

2) II 1013 „passim" voce in „refert" mutata = I 823;
II 1014 fine mutato = I 618; II 1015 = I 820;
II 1016 initio mutato = I 821; II 1020 = II 726; II 1021 = I 685.

Digitized by Google

siones. Ac primum versum 1020, quem Lachmannus delevit, a Lucretio hoc loco non scriptum esse elucet. Praeter hunc versum Lachmannus vv. 1015, 16 recte poetae abiudicat, quia haec optime de primordiis dicta sint (I 820, 1), contra ineptissime ad verba, quibus versus constant, transferantur. Hos autem versus Briegerus (Fleckeis. anall. 1875 p. 622—624) ab eodem, qui ceteros versus praeter 1020 fecit additos esse ostendit[1]), cum, ut iam Lachmannus vidit, ad „omnia" vocem non „elementa", sed — id quod deletis versibus 1015, 16 intellegi non potest — verba intellegenda sint: nam non de ea re hoc loco agitur, num litterae quaedam consimiles sint, sed, num eaedem sint et similia verba efficiant. — Iam Briegerus ipse, qui omnes hos versus a Lucretio ipso scriptos esse arbitratur, quia ii versus, qui non ex aliis carminis locis repetiti sint, nemini nisi illi ipsi deberi putandum sit, tres magnas offensiones inesse in versibus 1015, 16 docet. Nam primum litterae non significant „caelum" etc., sed verba efficiunt, quae illas res significant. Deinde non eadem elementa illis verbis communia sunt ac ne id quidem recte se habet, quod, si non omnia verba, at maximam eorum partem consimilem esse additur. Recte autem paulo ante (II 690 sqq.) poeta demonstraverat verba, etsi non deessent elementa, quae iis communia essent, „alia ex aliis constare elementis". Denique, cum I 820 sqq. apte caelum, mare, terra, flumina opponantur frugibus, arbustis, animantibus, hoc loco haec distinctio inepta est. Propter has res valde vitiosa esse haec omnia Briegerus ostendit[2]); aliam offensionem in his ver-

1) Idem Gneissius (l. l. p. 47) censet, cui illa Briegeri disputatio ignota erat.

2) Non recte Briegerus l. l. offendit in verbis „verum positura discrepitant res" propterea, quod haec ad ea tantum verba pertinerent, quae ut „Roma" et „amor" iisdem litteris constarent. Nam eodem modo poeta I 827 sqq. „permutato ordine solo" effici dicit, ut versus et verba, quibus multa elementa et non omnia communia sunt, et re et sonitu distent. Maximi igitur momenti dicit esse, quo ordine inter se et primordia et elementa collocata sint.

Digitized by Google

sibus inesse vidit Neumannus (l. l. p. 51); qui Lucretium, etiamsi satis indefinite saepius vocabulum „res“ adhibuisset, non tamen „res“ pro „litteris“ vel „verbis“ potuisse scribere recte dicit, praecipue si in versu insequente „litteris“ vel „verbis“ „res“ ipsas voluisset opponere [1]).

Restat in hac dissertationis parte, ut dicamus de paucis quibusdam comparationibus, quae eodem modo duobus aut tribus carminis locis inveniuntur neque omnes a poeta ipso videntur repetitae esse.

Similitudines repetitae exstant hae: I 490 = VI 229; I 738 sq. = V 111 sq.; I 936 sqq. = IV 11 sqq.; II 55 sqq. = III 87 sqq. = VI 35 sqq.; III 784 sqq. = V 128 sqq.; IV 170 sq. = VI 251 sq; IV 181 sq. = IV 910 sq.

Ex his locis paulo accuratius eos tractabo, in quibus ad ea, quae ab aliis disputata sunt, aliquid addi posse mihi videtur, in reliquis breviter, quae alii de iis recte exposuisse videntur, indicabo.

Ac primum dicam de iis comparationibus, quae a poeta ipso videntur repetitae esse. In quarum numero ante omnes habendae sunt breviores illae I 738 sq. = V 111 sq.; IV 181 = IV 910; I 490 = VI 229.

Nam quod primam ex his similitudinem altero loco V 111 Munro insolentem et quodammodo inflatam esse putat et Neumannus (l. l. p. 20) ascriptam esse a lectore aliquo censet, Briegerus (Burs. anall. 1876 t. II. p. 187)

1) Gneissius, qui (l. l p. 47) ante Neumannum totum hunc locum eiciendum esse censuit, vocem „posituräˮ in hunc locum non quadrare dicit. Eodem enim modo inter se differunt „positura“ et „ordo“, quo θέσισ et τάξισ (Arist. Met. I 4). Sed Lucretium non omnibus locis illam propriam posituraе verbi vim servasse elucere videtur, si conferimus vv. II 760 sq. cum II 769 sq., II 884 sq. cum II 1008. Neque enim recte Gneissius dicit „posituram“ v. II 1008 non posse significare eum situm, „qui inter plurium primordiorum complexum est“, quoniam una cum „quali positura contineantur“ illud „cum quibus contineantur“ scriptum esset. Nam cum quovis ordine primordia cum aliis contineri possunt. — Eundem non recte offendisse in v. 1021, quem ita interpretatur, quasi figurae primordiorum permutari possint, Briegerus (Burs. anall. t. II p. 205) docuit.

Digitized by Google

Lucretium his versibus non se ipsum sed magistrum laudare recte dicit.

Tum illa quoque comparatio, quae I 490 et VI 229 exstat, etsi eam imprimis posteriore loco nonnulli viri docti interpolatam esse censuerunt, haud dubie a Lucretio ipso bis posita est.

Hanc similitudinem Lachmannus utroque loco poetae abiudicavit, qui I 489 sq. scripsit:

'transit enim fulmen caelum[1]) per saepta domorum
clamor it ac[2]) voces'

et VI 228 sq., illam comparationem ex I 490 interpolatam esse arbitratus, hoc modo versus restituendos esse censuit:

'transit enim validum fulmen [per saepta domorum
clamor ut ac voces transit] per saxa per aera'.

Sed contra hunc Susemihlius et Briegerus (Philol t. XIV p. 551 XXIII p. 469) recte disputaverunt et I 489 sq. legendum esse docuerunt

'transit enim fulmen caeli per saepta domorum
clamor ut ac voces'.

Nam quod Lachmannus fulmen domorum saepta non ita, ut clamorem ac voces, transire sed plerumque laedere dicit, bene Briegerus vv. VI 348 sq. affert:

'incolumisque venit per res atque integra transit
multa foraminibus liquidus quia transvolat ignis'.

et praeterea vv. II 381 sqq. et VI 231 sqq. laudat. Deinde non recte Lachmannus domorum saepta tam dura non esse dicit, ut ea fulmini non obsistere mirandum sit. Nam poeta hoc loco saxea saepta domorum — id quod ex vvs IV 699, VI 951 conicere licet — ante oculos habuisse videtur. Optime autem hanc comparationem adhibitam esse ex eo apparet, quod, ut Goebelius (obss. Lucr. p. 30) dicit, fulmen „tam volubiliter ac sine labore", quam vocem per saepta domorum transire demonstratur. Ac certe Lucretius exemplo vocis, quam per saepta domorum celerrime trans-

1) codd. flumen caeli.
2) codd. ut ad.

Digitized by Google

volare unusquisque sciebat semperque experiendo cognoscere poterat, non minus luculenter docuit ignem fulminis minutis mobilibusque corporibus contineri, quam IV 605 sq. exemplo scintillae illustravit, qua ratione fieret, ut una vox in multas dissiliret. Accedit quod compluribus locis Lucretius voces per saepta transvolitantes affert (I 354; 490 IV 699; VI 951 [1]), ita ut ei utroque loco facile illud exemplum occurrisse putandum sit.

Praeter has similitudines Lucretius ipse eas comparationes repetiise videtur, quae exstant III 784 sqq., V 128 sqq. et II 55 sqq., III 87 sqq.

Comparationem III 784 sqq, in qua Neumannus (l. l. p. 10, 11) et Gneissius (l. l. p. 35) offendunt, aptissime hoc loco adhibitam esse Briegerus (Burs. anall. 1876 t. II p. 186) docet.

Eandem autem altero loco V 128 sqq., ita ut nunc legitur, cum eis, quae antecedunt, non concinere Goebelius (obss. Lucr. p. 26 sq.) vidit. Nam, cum id poeta docere velit „cum quovis corpore“ animam coniungi non posse (v. 126), repugnat versus 132:

„sic animi natura nequit sine corpore oriri“.

Deinde, cum haec comparatio particula „sicut“ ad antecedentia annexa sit, versu 131 interposito inter vv. 128 130 et 132 sq. „sic“ in versu 132 ferri non posse Tohtius dicit (Fleckeis. anall. 1879 p. 546). Idem tamen recte, ut puto, Lucretium ipsum hos versus ita scripsisse censet, ut eos in retractando hoc loco magis ad antecedentia accommodaturus fuerit. Nam interpolatam hanc comparationem esse propterea non verisimile est, quia, ut Neumannus (l. l. p. 10) recte dicit, hi versus ita textui inserti sunt, ut removeri non possint.[2])

1) Accidit poetae, ut, cum IV 699 odorem non per saxea saepta penetrare dixisset, VI 952 odorem afferret in numero earum rerum, quae per „dissepta domorum saxea“ manarent.

2) Goebelius (l. l. p. 26 sqq) V 128 sqq. interpolatam esse censet; Purmannus ('Quaestionum Lucr. specimen Vratisl. 1846' p. 55) et Pollius (Philol. t XXVI p. 345) Lucretium, si opus suum retactare potuisset, eam deleturum fuisse arbitrantur.

Digitized by Google

Altera comparatio a pueris, qui in tenebris omnia metuunt, sumpta non modo VI 35 sqq. sed etiam II 55 sqq. a Lucretio ipso videtur adhibita esse. Hanc in libro secundo interpolatam esse nemo suspicatus est praeter Gneissium (l. l. p. 19, 20). Qui primum versus 55 sqq., qui „nam“ particula inducuntur, ad versum 54 non recte adiungi dicit, cum id, quod nos trepidamus, sequatur ex eo, quod vita nostra in tenebris est. Sed hoc potius Lucretius voluisse videtur: quoniam nos in vita timemus item ut pueri in tenebris timent, recte dici vitam humanam in tenebris versari Deinde quod Gneissius dicit „tenebris“ vocabulum tribus versibus 54, 56, 58 diversa ratione repetitum offendere, apte confert Briegerus (Burs. anall. 1879 t II p. 202) vv III 449—552, in quibus eodem modo „viribus“ repetitum est.[1]). Denique Gneissius „omnis vita“ et „interdum“ non recte inter se opponi dicit Sed omnis vita in tenebris est iis, qui, quae sit rerum natura, per totam vitam non intelleguut; neque vero semper hos in timore esse poeta censet, sed interdum, ubi „aliis oppressa malis in pectora cura illa quoque expergefactum caput erigere infit“ (vv. 1107, 8), ne vel dei vel Acheruntis tenebrae vel alia immineant.

Eadem comparatio, num tertio quoque loco, quo exstat, III 87 sqq. a Lucretio ipso posita sit, certo vix diiudicari potest. Hanc interpolatam esse primus Goebelius (l. l. p. 28) censuit, qui versus 87—90 „incondite atque inscite“ prioribus subiunctos esse dicit, cum poeta, quae „inde a. v. 35 multis iam ac definitis locutus sit, parum apte tectioribus verbis iterum asserat“. Deinde Pollius (Philol. t. XXVI p. 238) poetam ipsum illam similitudinem adhibuisse putat itemque Neumannus (l. l. p. 29) Lucretium „optime lectoribus hunc carminis finem in memoriam“ revocasse arbitratur, cum id imprimis carmine suo efficere

1) Ribbeckius III 451 (Mus. Rhen. t. XXX p. 624) pro „viribus aevi“ scribendum esse dicit „ictibus aevi“; hoc a Briegero (Burs. anall. 1876 t. II p. 100) refutatur.

Digitized by Google

studeret, „ut ipsa naturae consideratione mortis et deorum metu“ homines liberaret. Rursus interpolatos esse hos versus Gneissius censet (l. l. p. 20), cui Tohtius (Fleckeis. anall. 1879 p. 545) et Briegerus (Burs. anall. 1879 t. II p. 202) assentiuntur. Sed tamen certa causa esse mihi videtur, cur poetam hoc quoque loco eandem comparationem repetivisse credamus. Quod ut demonstrem, breviter sententiarum conexum inde a versu 35 exponam. Lucretius, ut Acheruntis metum, quem funditus vitam humanam turbare dicit, expellat, quae sit animi natura, docere vult (vv. 35—40). Deinde (vv. 41—81) ostendit vere inesse in hominum vita mortis timorem et omnia mala illo timore effici. Tum (vv. 82—90) homines causam omnis calamitatis hunc timorem esse non intellegere demonstrat. Denique, ut illustret, quomodo fiat, ut homines vanum esse timorem, quem ipsi concipiunt, quamquam non exstat res terribilis, non intellegant, similitudinem illam affert a pueris repetitam, qui omnia „in tenebris pavitant finguntque futura“. „Sic nos in luce timemus interdum nilo quae sunt metuenda magis“.

„Obliti“ (in v. 82) ad omnes homines potius pertinere quam ad eos, qui „sibi consciscant maerenti pectore letum“ elucet ex versibus sequentibus 83, 84, quibus breviter comprehenditur id quod antea fusius expositum erat, quam perniciosus timor sit mortis. Concedendum quidem est non bene illud exemplum, quod (vv. 85, 86) Lucretius addit ad antecedentia (imprimis ad vv. 72, 73) interponi inter versus 82—84 et 87—90; sed tamen hoc obstare non arbitror, quominus poeta ipse hanc similitudinem hoc loco addidisse putandus sit, ut, quam ob rem homines essent „obliti fontem curarum hunc esse timorem“, doceret.

Iam dicendum est de iis comparationibus, quae non a Lucretio, sed ab aliis videntur insertae esse. Huc pertinent IV 170 VI 251 et I 936 sqq. IV 11 sqq.

Priorem illam comparationem altero loco VI 251 interpolatam esse Neumannus (l. l. p. 17) docuit, qui versus 250 et 255, in quibus „tum“ et „cum“ sibi respondent,

Digitized by Google

interpositis versibus 251—254 ita distrahi vidit, ut illos inter se cohaerere intellegi non possit.

Altera, quae huc referenda est, comparatio, una cum decem, qui antecedunt, versibus ex I 926—50 libro quarto praefixa est (IV 1—25). De quo loco cum multi disputaverint, qui hos versus aut in libro primo interpolatos esse[1]) aut in libro quarto ab editore carminis positos esse[2]) aut utroque loco a Lucretio ipso ita scriptos esse, ut eos in primo libro postea deleturus fuerit[3]), aut, postquam carmen in publicum prodiit, ab alio libro altero praepositos esse censuerunt[4]), Lachmanni coniectura maxime verisimilis mihi videtur esse, qui carminis editorem, cum exordium libri quarti a Lucretio scriptum non habuisset, versus 926—40 primi libri repetiisse censet.

---

1) Forbigerus ('de T. Lucr. carmine a scriptore serioris aetatis pertractato. Lipsiae 1824' p. 19—28) Grasbergerus ('de Lucr. carm. Monach. 1856' p. 32).

2) Lachmannus (comment. p. 62); idem censet Briegerus (Burs. anall. 1879 II p. 201), praeterea Gneissius (l. l. p. 15, 16).

3) Purmannus (Jahni anall. LXVII p. 664 sqq.) Tohtius (Fleckeis. anall. CXIX p. 544).

4) Neumannus l. l. p. 25, 26.

Digitized by Google

Caput II.

Ad alteram huius dissertationis partem accedens, in qua grammaticam comparationum Lucretianarum rationem inquirere mihi propositum est, rem ita instituam, ut primum, quo modo similitudines inducantur, quaeram, deinde de verborum, quae poeta in illis adhibuit, temporibus et modis dicam. Ex his quaestionibus Walserus [1]) priorem iam ita tractavit, ut in universum varias formas, quibus poetae epici Latini ad comparationes inducendas usi sunt, collectas in ordinem digesserit. Sed cum ille, qui singulorum poetarum in hac re usus esset, non dixerit, inutile non videtur esse, qua ratione Lucretius singulis locis comparationes in orationem inseruerit, indicare. Hoc ita faciam, ut eum, quem Walserus secutus est, ordinem teneam, quo facilius, quas ex omnibus illis omnium poetarum epicorum Latinorum formis Lucretius usurpaverit, intellegi possit.

Ac primum quidem, cum duo genera comparationum sint, unum simplicium, quae omni ornatu orbae maximam partem uno tantum verbo continentur, alterum copiosius descriptarum, videamus, quomodo priores illae inducantur.

Hae similitudines in textum inseruntur

I) substantivis:

1) ritu I 1102 V 117.
2) more V 932 VI 198.

1) 'Zur formalen seite des gleichnisses bei den lateinischen dichtern' (Zeitschrift für die österreichischen gymnasien. 1878 p. 595—607.)

Digitized by Google

II) adiectivis:

1) par V 969.

2) adsimulatus VI 189, quod hoc loco afferre liceat

III) comparativis:

1) securius III 977

2) sanctius et multo certa ratione magis quam I 738 V 111.

3) non magis metuenda quam II 57 III 89 VI 37.

IV) coniunctionibus:

1) ut: I 490. 1060[1]) III 360. 488. 510. 614. 938 IV 727. 873. 1138 V 222. 497. 827 VI 106. 257. 329. 593. 1099. 1169. uti II 222 III 583.

2) vel ut II 322[2]) III 684 VI 478.
vel uti I 291 VI 504.

3) quasi II 79 III 265 IV 31 V 549. 1125 VI 1032.

4) ceu III 456 V 1131.

5) tamquam VI 433. 1245.

Huc quoque referendi sunt duo loci, quorum altero

V) comparatio nulla re cum re comparata coniuncta est:

II 332 'stare (sc. equites) videntur et in campis consistere fulgor'.

(cf. II 321 sq. 'omnia quae nobis longe confusa videntur et velut in viridi candor consistere colli')

VI) altero comparatio solo ablativo indicatur:

II 803 'namque alias fit uti claro sit rubra (sc. pluma) pyropo'.

Iam veniamus ad eos locos, quibus comparatio copiosius descripta cum re comparata coniuncta est.

Hae similitudines inducuntur

I) pronominibus: respondent inter se: totus — quotus VI 652.

---

1) Comparationem, quae exstat I 1060, ad sequentia referendam esse censet Lachmannus, qui v. 1061 pro „adsimili" scribit „et simili". Sed versum 1060 cum antecedentibus coniungendum esse elucet ex iis, quae Susemihlius et Briegerus de hoc loco disputaverunt (Philol. t. XXIII p. 637).

2) codd. „uti in" corr. Lachmannus: „ut in".

Digitized by Google

II) adverbiis:

perinde — tam quam IV 263 — tamquam VI 866.

III) coniunctionibus:

1) ut — sic I 404. III 339 (non ut — sic) 459. 563. 703. IV 513. 1097. V 788.
ut[1]) — ita II 780.
ut — itidem III 11.
2) vel ut — sic III 832.
vel uti — sic I 936. 1038 II 55 III 87. 551 IV 11 VI 35.
3) sicut — sic V 128.
sicut — propter eandem rem II 847.
4) quasi — sic II 552 III 147 IV 161.

Comparatio sequitur rem comparatam:

1) sic — ut IV 296.
ita — ut I 761.
2) item — quasi II 453.[2])
3) aeque — ac IV 897.[3])

In re comparata nihil coniunctionibus, quibus comparationes inducuntur, respondet:

Annectitur comparatio per:

1) ut I 197 II 778. 921 III 408. 1044. IV 926. 928. V 516. 540. 803. 946. 1339 VI 109. 135. 148. 177. 229. 314. 501. 555. 1121. 1167.
uti VI 594.
2) sicut V 813.
3) vel ut III 549.
4) quasi III 493.[4]) IV 376. 605. VI 434. 515.
5) proinde ac III 1035.

His coniunctionibus annectere liceat:

quod genus: III 221. 266. 276. 327. IV 271 V 478. 608.

---

1) codd. „uti“ corr. Lachm. „ut“

2) codd. „quod“. corr. Hauptius „quasi“

3) codd. „corporis ut ac“. coniecit Bernaysius (praef. p. V) „aeque id ut ac“.

4) codd. „spumans in“ corr. Lachm. „spumat quasi in“.

Digitized by Google

quo pacto I 912.
quo ritu VI 1155.

Ex his, quos attulimus, formis paucae coniunctae inveniuntur cum coniunctione temporali „cum“ aut cum „si“:

quod genus cum II 194.
ut cum III 102.
ut si VI 152. 759.
ceu si IV 618. VI 161.

Praeterea hoc modo comparationes conexae sunt cum rebus comparatis:

nec ratione alia — et cum I 280.
nec ratione alia — ac (atque) II 881 V 460. 1030. VI 306.
non alio pacto quam si III 110.

Semel ad comparationem inducendam Lucretius interrogatione rhetorica usus est: III 6,7.

Liberius ad antecedentia annexae sunt hae similitudines:

IV 170 'uti rearis'

IV 180. 909. 'suavidicis potius quam multis versibus edam parvus ut est cycni melior canor ille gruum quam clamor' . . .

Iam quoniam formas, quibus comparationes Lucretianae inducuntur, attulimus, breviter tres aliae res, quae huc pertinent, commemorandae sunt.

Nam primum poeta saepius, postquam ad rem, quam demonstrat, comparationem adiunxit, similitudine ad finem perducta rursus rem comparatam affert. Ita, ut exemplo utar, postquam comparatione III 408–414 ea, quae antea de animo et anima disputaverat, illustravit, v. 416 haec addit:

'hoc anima atque animus vincti sunt foedere semper',

Huc pertinent hi loci: I 290. 828. II 695. 1019. III 269. 279. 329. 416. V 302. 467. 546. 561. 648.

Deinde non raro comparatio, priusquam ipsa apponitur, quasi praenuntiatur verbo aliquo ad illam pertinente; quamquam non apparet, utrum poeta, cum illo verbo uteretur, comparationem iam ante oculos habuerit, ita ut illa ipsa

Digitized by Google

ad verbum illud adhibendum adduceretur, an verbo translate usurpato commotus sit, ut comparationem induceret.

Pertinent huc hi loci:

I 280. fluunt (venti qui subsequentibus versibus cum flumine comparantur).
402. animo satis haec vestigia parva sagaci sunt
737. ex adyto tamquam cordis responsa dedere.
934. musaeo contingens cuncta lepore
II 54. omnis cum in tenebris praesertim vita laboret.
78. inque brevi spatio mutantur saecla animantum.
192. et celeri flamma degustant tigna trabesque
550. materiai tanto in pelago.
III 1044. restincxit, stellas exortus ut aetherius sol.
V 592. maria ac terras omnis caelumque rigando compleat (sc. sol) et calido perfundat cuncta vapore.
598. largifluum fontem scatere.

Nonnullis locis Lucretius comparatione ad finem perducta in versibus sequentibus verba usurpavit, quae illam in memoriam revocant:

I 408. caecasque latebras insinuare omnis et verum protrahere inde.
947. et quasi musaeo dulci contingere melle.
II 59. hunc igitur terrorem animi tenebrasque.
562. disiectare aestus diversi materiai
III 12. omnia nos itidem depascimur aurea dicta.
937. commoda perfluxere atque integra interiere
960. quam satur ac plenus possis discedere rerum.
IV 927 unde reconflari sensus per membra repente posset . . .

Denique videndum est, quomodo Lucretius iis locis, quibus complures comparationes usurpavit, has inter se coniunxerit.

Coniunctae sunt coniunctionibus disiunctivis (aut) III 6 sqq. 221 sqq., copulativis IV 901 sqq. (et—atque—que) et, si recte se habet, quod diximus vv. 194, 195 ante

Digitized by Google

v. 189 collocandos esse, II 194, 95, 89 (et). III 784 sqq. prima comparatio cum altera conexa non est (in aethere non arbor, non aequore salso nubes esse queunt), reliquae coniunctionibus copulativis (nec — nec — neque) coniunctae sunt. VI 109 sqq., quo loco primum ad comparandum carbasus affertur et „malos inter iactata trabesque“ et „perscissa — petulantibus auris“, hae duae comparationes non conexae sunt, sed altera ad priorem per „interdum“ adiuncta est. Deinde, cum altera comparatio aliis duabus comparationibus illustretur, hae per „aut“ coniunctae sunt. II 1 sqq. 317 sqq. 741 sqq. comparationes coniunctionibus non conexae, sed ita copulatae sunt, ut II 6 sqq. eodem, quo II 1 sqq., adiectivo inducatur, II 323 sqq. per „praeterea“, II 746 sq. per „denique“ ad similitudines antecedentes adiungantur.

Nunc videamus, qua ratione Lucretius in temporibus et modis adhibendis usus sit. Quae cum apud eum simplicissima sit, res paucis absolvi potest.

Nam, ut primum de temporibus dicam, cum poeta ab iis rebus comparationes repetere soleat, quae omnibus fere praesto erant semperque videri poterant, praesens tempus omnibus fere locis usurpatum invenimus. Perfectum semel adhibitum est III 832, quo loco poeta tempus, quod praeteriit, cum eo comparat, quo et ipse et ii, qui carmina legunt, iam mortui erunt. Coniunctivus imperfecti III 1035 exstat, quia id, quod comparatione continetur, non verum, sed a poeta fictum est.

Sicut praesens tempus semper fere adhibitum videmus, ita longe plurimis locis indicativo usus est poeta, quia ea, quae ad rem illustrandam attulit, non semel, sed semper fiebant.

Coniunctivum quibusdam locis certis de causis adhibuit. Ac primum quidem rem, quam ad comparandum usurpavit, non re vera fieri dicit, sed fieri posse indicat. Eiusmodi coniunctivi potentiales qui vocantur his locis inveniuntur: IV 263 (post „perinde — tamquam“); VI 866 (post „tamquam“): IV 376 VI 434. 515 (post „quasi“); III 110

Digitized by Google

(post „non alio pacto quam si“) IV 296 VI 152. 759[1]) (post „ut si“) VI 161 (post „ceu si“). Ex quibus elucet poetam coniunctivo usum esse imprimis post eas coniunctiones, quae conexae sunt cum „si“. Quamquam non semper hoc fecit: nam indicativus invenitur, ut III 493 omittam, post „quasi“ IV 605, post „ceu si“ IV 618. Praeterea in interrogatione rhetorica coniunctivus adhibitus est. Idem propter sententiam irrealem exstat III 1035. Denique coniunctivus aliquot locis debetur rationibus grammaticis. Ad hos VI 130[2]) quoque referendum est, ubi pro „dat“ Lachmannus recte scripsit „det“.

---

1) Verba tradita „ut si sint mactata“ retinenda esse recte dicit Pollius, qui (Philol. t. XXVI p. 297) soloecismum, qui hoc loco invenitur, ferri posse docet.

2) VI 131 in codicibus scripta sunt haec: „saepe ita dat parvum sonitum displosa repente“; Lachmannus scripsit: „saepe det haut parvum sonitum“. Verisimilius est, quod Munro proposuit: „saepe ita dat torvum sonitum“, sed pro „dat“ scribendum est „det“.

Digitized by Google

Caput III.

Postquam cognovimus, quas comparationes Lucretius adhibuerit et quae illarum ratio grammatica sit, illud quoque quaerere non inutile est, quas ex illis poeta ipse invenerit et quas antiquioribus poetis vel philosophis debuerit. Cui rei pertractandae duae res obstant: primum enim quaestio de auctoribus, quos Lucretius secutus est, ita, ut nulla dubitatio exsisteret, nondum absoluta est. Nam postquam Woltjerus accurata disputatione demonstrare conatus est Lucretium in doctrina explicanda neminem secutum esse nisi Epicurum ipsum et id certe docuit ea quae Lucretius tradidit, quam maxime consentire cum Epicuri, quae exstant, fragmentis, Ruschius in sexti libri altera parte Posidonium eius auctorem fuisse docuit. Deinde altera difficultas exoritur propterea, quod eorum imprimis scriptorum, ex quibus Lucretium complures comparationes sumpsisse verisimile est, pauca tantum exstant fragmenta. Nam primum ex Epicuro immenso numero librorum, quibus praecepta sua exposuerat, perpauca fragmenta relicta sunt et ne haec quidem ita comparata sunt, ut ex iis complures Epicuri comparationes cognoscamus. Deinde ex libris Empedoclis exigua fragmenta exstant, in quibus nullam quidem comparationem a Lucretio adhibitam invenimus; sed haud scio an Lucretius ab illo quoque, cui maxime operam dedisse videtur, comparationes aliquas mutuatus sit. Nam quod Woltjerus Lucretium illum poetam, quem iisdem fere quibus Ennium laudibus extollit (vv. I 716—33), non ipsum

Digitized by Google

legisse sed ex Epicuri scriptis cognosse arbitratur, omnino non verisimile videtur esse. Denique Ennii annalium, quorum studio Lucretium enixe se dedisse creberrima vestigia, quae passim in toto carmine inveniuntur, ostendunt, fragmenta tantum exstant.

Quare id imprimis agendum est, ut, quas aliorum comparationes Lucretium aut imitatum aut mutuatum esse etiam nunc demonstrari possit, videamus. Qua in re primum usui mihi fuit, quod Munro in adnotationibus suis ad singulos comparationum locos eos aliorum poetarum versus, quos Lucretius ante oculos habuisse videtur, attulit; quamquam non omnes ipse collegit, sed aliorum opera, imprimis Lambini, qui primus huic rei studuit, adiutus est. Deinde quid omnino Ennio Lucretius debuerit, Pulligius[1]) docuit. Denique, cum aliquot ex Lucretii comparationibus ad certas quasdam dictiones, quae in proverbii fere consuetudinem venerant, redeant, quae huc pertineant, ex Ottonis librò de proverbiis Romanorum[2]) intellegitur.

Iam ut primum videamus, quas comparationes Lucretius aliis philosophis debeat, apud Epicurum duas similitudines, quibus postea Lucretius usus est, adhibitas fuisse certo cognoscere licet.

Quarum altera est de fumo, quam Lucretius adhibuit, ut, qua ratione homine mortuo anima dissolveretur in auras doceret III 456 et 583. Hanc similitudinem pervulgatam, quam Homerus iam, quamvis non plane eodem modo, usurpavit Il. ψ 100, translatam esse ex Epicuri scriptis intellegitur ex Sexti adv. math. IX, 72: (*αἱ ψυχαὶ*) *οὐχ, ὡς ἔλεγεν ὁ Ἐπίκουρος, ἀπολυθεῖσαι τῶν σωμάτων κάπνου δίκην σκίδνανται.*

Altera comparatio exstat in fragmentis libri XI *περὶ φύσεως* (Hercul. voll. t. II p 37), quo loco recte Woltjerus (l. l. p. 124) e lineis 18, 19, 20 apparere dicit Epicurum

1) H. Pullig: 'Ennio quid debuerit Lucretius' Halis Saxonum 1888.

2) A. Otto: 'Die sprüchwörter und sprüchwörtlichen redensarten der Römer' Leipzig 1890.

Digitized by Google

eadem comparatione a membris corporis repetita, quam Lucretius V 540 sqq. adhibuit, usum esse. Haec enim verba scripta videmus: *καὶ τὴν γῆν ἐν μέσῳ ὥστε πάντα κατὰ σχῆμα κώλων.*

Praeter has comparationes, si recte dicit Woltjerus Democriti, Heracliti aliorum praecepta non ex ipsis illorum scriptis, sed ex Epicuro a Lucretio cognita esse, aliae quoque similitudines Lucretianae ad Epicurum redeunt: Ac primum illam comparationem a litteris verborum repetitam, quam saepius apud Lucretium exstare vidimus, a Democrito usurpatam esse docemur loco Aristotelis *περὶ φθορ. καὶ γενεσ.* p. 315, 2 Beck., quem Munro ad Lucr. I 823 et Woltjerus p. 44 afferunt. Nam ibi Aristoteles Democriti et Leucippi de atomis doctrina prolata haec addit: *ἐκ τῶν αὐτῶν γὰρ τραγῳδία καὶ κωμῳδία γίνεται γραμμάτων.* Verisimillimum autem est Aristotelem haec non ipsum invenisse sed propterea addidisse, quod illi philosophi simili modo praecepta sua illustraverant. Alio quoque loco Met. I 4, quem Woltjerus l. l. p. 56 affert, Aristoteles ea, quae de Leucippi et Democriti doctrina disputavit, exemplo alitteris sumpto dilucida facit: *διαφέρει τὸ μὲν Α τοῦ Ν σχήματι, τὸ δὲ ΑΝ τοῦ ΝΑ τάξει, τὸ δὲ Ζ τοῦ Ν θέσει.*

Deinde eandem comparationem, quam Lucretius II 112 sqq. sumpsit a minimis corpusculis, quae in solis radiis vagantur, Democritus teste Aristotele *περὶ ψυχῆς* I 5 ad naturam ignis et animae illustrandam adhibuit: *ἀπείρων γὰρ ὄντων σχημάτων καὶ ἀτόμων τὰ σφαιροειδῆ πῦρ καὶ ψυχὴν λέγει, οἷον ἐν τῷ ἀέρι τά καλούμενα ξύσματα, ἃ φαίνεται ἐν ταῖς διὰ τῶν θυρίδων ἀκτῖσιν, ὧν τὴν πανσπερμίαν στοιχεῖα λέγει τῆς ὅλης φύσεως.*

Hanc comparationem ab Epicuro usurpatam esse elucere videtur ex Stob. Ecl. p. 922, quem Woltjerus l. l. p. 71 laudat: *Εἰ δὲ παρέσπαρται μὲν καὶ ἔνεστιν ἡ ψυχὴ τῷ σώματι καθάπερ ἐν ἀσκῷ πνεῦμα περιεχομένη ἢ συμμιγνυμένη πρὸς αὐτὸ καὶ ἐγκινουμένη, ὥσπερ τὰ ἐν τῷ ἀέρι ξύσμα-*

Digitized by Google

τα διὰ τῶν θυρίδων φαινόμενα, δῆλόν που τοῦτο ὅτι ἕξεισιν μὲν ἀπὸ τοῦ σώματος, ἐν δὲ τῷ ἐκβαίνειν διαφορεῖται καὶ διασκεδάννυται, ὥσπερ Δημόκριτος καὶ Ἐπίκουρος ἀποφαίνεται.

Ex altera comparatione, quae hoc loco invenitur: *ἔνεστιν ἡ ψυχὴ τῷ σώματι καθάπερ ἐν ἀσκῷ*, haud scio an recte Woltjerus l. l. p. 71 suspicatus sit Lucretium in illa quoque similitudine, quam III 440 a vase repetivit, adhibenda Epicurum ante oculos habuisse.

Denique unam comparationem III 360, qua Lucretius, ut adversariorum rationem illustret, oculos comparat cum foribus, quibus apertis ea quae extra sunt videmus, ad Heraclitum redire Woltjerus l. l. p. 64 recte dicit. Haec enim scripta inveniuntur apud Sextum Empiricum adv. Math. VII 130: *ἐν δὲ ἐγρηγορόσι πάλιν διὰ τῶν αἰσθητικῶν πόρων ὥσπερ διά τινων θυρίδων προκύψας (ὁ ἐν ἡμῖν νοῦς) καὶ τῷ περιέχοντι συμβαλὼν λογικὴν ἐνδύεται δύναμιν.*

Has igitur omnes comparationes Lucretius ex Epicuri scriptis hausisse videtur; Posidonio debet illam similitudinem, quam, ut supra vidimus, ad suam de terrae motu opinionem illustrandam adhibuit.

Ex numero poetarum, quos Lucretius in hoc genere imitatus est, primum locum tenet Homerus, quod imprimis elucet ex eo loco, quem, etsi iusta comparatio non est, tamen in similitudinum numerum recepimus, II 323 sqq.. His in versibus poetam non unum Homeri carminum locum ante oculos habuisse Munro recte dicit. Nam primum obversatus ei videtur esse v. Od. ξ 267 sq.: *Πλῆτο δὲ πᾶν πεδίον πεζῶν τε καὶ ἵππων Χαλκοῦ τε στεροπῆς.* Tum simillimi inter se, id quod iam Wakefieldius vidit, hi versus sunt:

Lucr. II 325 'fulgor ibi ad caelum se tollit, totaque circum
aere renidescit tellus, supterque virum vi
excitur pedibus sonitus' et

Il. *Τ* 362 *αἴγλη δ' οὐρανὸν ἶκε, γέλασσε δὲ πᾶσα περὶ χθών*
χαλκοῦ ὑπὸ στεροπῆς· ὑπὸ δὲ κτύπος ὤρνυτο ποσσίν
ἀνδρῶν.

Digitized by Google

Deinde Lucretio in ea comparatione, quam a fluminis super ripas effusi vi repetitam pulcherrime explicavit, I 281 sqq. [1]) Homerus ante oculos videtur fuisse, qui Il. *E* 87 et *Λ* 492 ad ingentem pugnantium aestum illustrandum, quantam stragem flumen super ripas effusum ederet, descripsit. Sed tamen addendum est Lucretium non minus quam Homerum naturam ipsam secutum esse. Neque enim illi deerat occasio magnifici illius spectaculi videndi, cum, ut Bockemuellerus ad hunc locum annotat, non raro subitae inundationes, quas Lucretius ipse VI 266 commemorat, in Italia efficiantur.

Praeter Homerum duos alios poetas Graecos Lucretius in comparationibus usurpandis videtur imitatus esse: Antipatrum Sidonium et Leonidam Tarentinum. Nam cum similitudinem IV 181, 182, qua cycni canor et gruum clamor inter se conferuntur, adhiberet, hoc Antipatri epigramma (anthol. II p. 19 epigr. 47,7) ei obversatum esse elucet:

Λωίτερος κύκνου μικρὸς θρόος ἠὲ κολοιῶν
κρωγμὸς ἐν εἰαριναῖς κιδνάμενος νεφέλαις.

Cornicum loco ut grues induceret, Lucretium adductum esse, quia Homeri v. Il. *Γ* 3:

ἠύτε περ κλαγγὴ γεράνων πέλει οὐρανόθι πρό

recordabatur, Munro non sine magna veritatis specie censet.

Leonidae epigramma (49 t. I p. 233 I. E. M.) poetae in mente fuisse videtur in similitudine III 1044 usurpata. Simillimo enim modo, atque Lucretius Epicuri praestantiam, Leonidas Homerum extollit:

ἄστρα μὲν ἡμαίρωσε καὶ ἱερὰ κύκλα σελήνης
ἄξονα δινήσας ἔμπυρος ἠέλιος·
ὑμνοπολὺς δ' ἀγεληδὸν ἀπημάλδυνεν Ὅμηρος
λαμπρότατον Μουσῶν φέγγος ἀνασχόμενος.

---

1) Woltjerus (Fleckeis. anall. t. 119 p. 772, 3) v. I 282 codd. habere dicit: Obl auget Quadr. uirget; recte igitur scribit quom largis imbribus urget; ad quam coniecturam confirmandam praeter Lucr. vv. VI 481 et 512 affert Il. *Λ* 493 *χειμάρρους* (*κάτεισι*) *κατ' ὄρεσφιν, ὀπαζόμενος* (schol. *ἐπειγόμενος*) *Διὸς ὄμβρῳ*.

Digitized by Google

Denique e Graecorum numero Thucydides nominandus est, a quo unam comparationem mutuatus est. Nam cum in extrema parte libri sexti praeclaram illam pestilentiae descriptionem, quam Thucydides II 47—54 fecerat, sive ex ipsius sive ex Epicuri libris receptam[1]) proferret, illam quoque comparationem, quam Thucydides II 51 adhibuit: *ἕτερος ἀφ' ἑτέρου θεραπείας ἀναπιμπλάμενος ὥσπερ τὰ πρόβατα ἔθνησκον*, usurpavit VI 1245[2]). Praeter hanc tres similitudines, quae in Lucretii descriptione exstant, VI 1155. 1167. 1169 a Thucydide, qui capite 49 easdem res eodem ordine commemorat, non adhibitae sunt.

Iam videamus, quas comparationes Lucretius debuerit Ennio.

Ad hunc primum referenda est illa similitudo, qua Lucretius Scipionem comparat cum famulo infimo. Haec enim scripta sunt apud Ennium ann. vv. 316, 317 (Vahl.)

. . 'mortalem summum fortuna repente
reddidit, e summo regno ut famul infimus esset'.

Deinde in ea comparatione, quam I 404 sqq. a cane venatica repetivit, Pulligius (l. l. p. 24) Lucretium, etsi certo demonstrari non possit, ante oculos habuisse censet Ennii vv. ann. 344 sqq:

'sicut si quando vinclis venatica velox
apta solet canis forte feram sei nare sagaci
sensit'

Denique duabus comparationibus Ennii annales materiam dederunt: III 832 sqq, quo loco Lucretius, „quam nil ad nos ante acta vetustas temporis aeterni fuerit, quam nascimur ante" (III 972 sq.), ita docet, ut Poenorum cum

1) Woltjerus, qui omnia, quae Lucretius tradit, ad Epicurum refert, hanc quoque descriptionem sumptam esse censet ex libris magistri, quem illam Thucydidis descriptionem in libros suos transtulisse arbitratur. Verisimilius est, quod Munro demonstrat Lucretium ex ipsius Thucydidis libris hanc partem carmini suo addidisse.

2) Versus 1245 eo, quo exstat loco, ferri non potest; posuerunt eum Marullus post 1241, melius Bentleius post 1236, quia, ut Lachmannus recte annotat, poeta hoc loco ordinem verborum Thucydidis tenuit.

Digitized by Google

Romanis bella gravissima, quae Ennius descripserat, afferat, et V 1339, quo loco cum leonibus et subus olim ad bellandum instructis comparat boves Lucas bellis Punicis adhibitas.

Restat, ut breviter dicamus de iis similitudinibus, quae redeunt vel ad proverbia vel ad certas quasdam comparationes tam pervulgatas, ut, qui primus illis usus sit, in perpaucis tantum satis constet. Has eo, quo in singulis libris inveniuntur, ordine afferam.

1) I 738 'sanctius et multo certa ratione magis quam Pythia quae tripodi a Phoebi lauroque profatur'.

Huiusmodi comparatione ab Apollinis responsis repetita cum veteres, ut certissimum aliquid esse dicerent, uti solerent (cf. Otto l. l. p. 30 s. v. Apollo), nihil obstat, quominus Lucretium, cum hanc similitudinem adhiberet, neminem ante oculos habuisse censeamus. Quamquam fieri potuit, id quod Munro arbitratur, ut Lucretio obversaretur Callim. in Del v. 94: *ἀλλ' ἔμπης ἐρέω τι τορώτερον ἢ ἀπὸ δάφνης.*

2) II 1 'Suave mari magno turbantibus aequora ventis
e terra magnam alterius spectare laborem'.

Hanc quoque comparationem redire ad sententiam aliquam pervulgatam apparet ex iis exemplis, quae Otto (l. l. p. 239 s. v. naufragium) praeter hunc locum affert. Quibus addam hos Sophoclis versus, quos Kiesslingius (ad Hor. ep. I 11, 10) poetis ab Ottone laudatis obversatos esse censet: Tympanist. fr. 579 N.:

φεῦ φεῦ τί τούτου χάρμα μεῖζον ἂν λάβοις
τοῦ γῆς ἐπιψαύσαντα κἆθ' ὑπὸ στέγῃ
πυκνῆς ἀκοῦσας ψακάδος εὐδούσῃ φρενί;

3) II 79 'quasi cursores vitai lampada tradunt.'

Sententiam, quae hac comparatione continetur, proverbii fere loco fuisse elucet ex Varronis r. rust. 3, 16, 9: „quod de fructu nihil dixi, nunc cursu lampada tibi trado". Simillimus Lucretianae comparationi locus invenitur apud

Digitized by Google

Plat. leg. 6 p. 777 B: [illegible] cf. Otto p. 185 s. v. lampas.

4) IV 1280 'nonne vides etiam guttas in saxa cadentis umoris longo in spatio pertundere saxa?'

Primus hac comparatione videtur usus esse Choerilus Kinkel fr. epic. gr. 1 p. 271 fr. 10:

[illegible]

cf. Otto s. v. gutta (2) p. 156.

5) V 608 'quod genus interdum segetes stipulamque videmus accidere ex una scintilla incendia passim'.

Verisimile est hanc comparationem ut adhiberet Lucretium adductum esse proverbio illo, quod ex scintilla saepe magnum incendium exsistere dicit (cf. Otto s. v. scintilla p. 311, 12).

6) V 1131 'invidia quoniam, ceu fulmine, summa vaporant'.

Hanc quoque similitudinem referendam esse ad dictionem pervulgatam intellegitur ex locis ab Ottone (s. v. fulmen (2) p. 148) collatis.

Digitized by Google

Digitized by Google